Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 551. Vigilii Pap. Annus 12. Ivstiniani Imp. 25. Totilæ Reg. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

a Quint. Synod. Act. 5. tom. 2. Concil.

Huius Synodi Acta habentur inſerta in Quintæ Synodi a Actione Quinta. Incumbente itaque Imperatore in opus, ad hoc ab ipſo miſſus eſt Martanius Comes Domeſticorum, cui & literas dedit ad Metropolitanum Ioannem, nec non ad Coſmam Epiſcopum Mopſueſtenum & alios. Interfuerunt eidem conuentui nouem Epiſcopi & complures viri clariſſimi Comites atque Tribuni. In qua Synodo nihil præterea factum eſt, niſi diligens examinatio de nomine Theodori, num in eius Eccleſiæ ſacris Diptychis vna cum aliis eiuſdem ciuitatis Epiſcopis Catholicis reperiretur ipſe Theodorus adſcriptus: & diligenti facta teſtium examinatione, nempe eorumdem, qui aderant, clericorum, qui eſſent longa ſenectute probati: inuentum eſt omnium aſſertione, nullam eius ſeculi memoriam eſſe, quod nomen Theodori Epiſcopi fuerit è Diptychis recitatum, in quibus nec ſcriptum erat, ſed eius loco poſitum fuiſſe, ipſo dempto, Cyrillum. His igitur quam exactè percognitis, eadem Synodus ea de re certiorem reddidit Vigilium Romanum Pontificem eiuſmodi teſtificatione.

XXXVIII. SYNODALIS AD VIGILIVM PAP.

Decebat vere, cum primam Sacerdotii dignitatem ſortiti eſtis, ſanctiſſime, ea, quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri. Hoc bene & Chriſtianiſſimus noſter Imperator conſiderans, & ad veſtram ſcientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopſueſtenæ Eccleſiæ Epiſcopo mota ſunt, iuſſit inferri. Piiſſimus enim ad nos litteris vſus, hortatus eſt ad Mopſueſtenam ciuitatem conuenire, quæ vna Secundæ Ciliciæ eſt: & cum ſubtilitate perſcrutari quomodo Theodorus, qui olim prædictæ ciuitatis fuit Epiſcopus, ſacris Diptychis eiectus eſt; & manifeſta eadem eius tranquillitati, quam veſtræ diuinitus honoratæ facere beatitudini. Statim igitur Mopſueſtiam accedentes religioſiſſimum congregauimus clerum & fidelem eius populum; & gentes eos, qui ſeniores ſunt qui & retinere forſitan memoria poſſent ſubtilitatem eius, quod quærebatur. Et diuina & adoranda eis proponentes Euangelia, vt ſuſpicionem ſui teſtimonij emendarent: dicere inuitauimus, ſi ſciunt, quo tempore Theodori antiqui nomen eiectum eſt Diptychis. Illi vero multos annos & ſuam excedentes memoriam eſſe iurauerunt, ex quo nulla eiuſdem Theodori memoria ſacris Diptychis inferitur: Cyrillum autem religioſæ memoriæ Alexandrinæ ciuitatis Pontificem eius loco ſcriptum eſſe: quæ ex Patribus ſuis audiſſe aſſeruerunt.

XXXIX.

Sed eorum, quæ dicebantur, ſubtilitatem inueſtigantes, & per ipſa venimus ſacra Diptycha, & mortuorum commemorationem conſiderabamus. Et Theodori quidem in antiquioribus temporibus nullam memoriam inuenimus: in ipſo vero fine ſacrorum Diptychorum Theodorus ſcriptus eſt, quem omnes nuper quidem mortuum eſſe dixerunt, ex Galatia vero ortum eſſe prouincia: hunc & nos omnes noſtri Concilij partem factum ante biennium mortuum eſſe cognouimus. Hæc ita habere, ipſa Geſta vobis ſanctiſſimis manifeſtant, quæ humili ſuggeſtioni coniungentes, ad ſcientiam veſtram deſtinauimus. ſed petimus diuinitus inſpiratos vos religioſiſſimos & Deum placantibus veſtris orationibus nos humiles ſuſulcire. hæc Mopſueſtena Synodus, quæ ad Vigilium Papam Iuſtiniani conſilio & opera miſſa fuerunt, ne in futura generali Synodo Theodorum ipſe damnare aliquo modo detrectaret, quem ſciret fuiſſe iam ante condemnatum.

XL.

Ad hunc vſque annum perduxit Iordanus, ſiue Iornandes Gothorum Epiſcopus, quem ſcripſit commentarium de Regnorum ac temporum ſucceſſione, vt ipſe in præfatione ad Vigilium quemdam alud à Romano Pontifice teſtatur, cum hæc habet in fine: *Ab ipſo Romulo ædificatore Vrbis originem ſumens in vigeſimo quarto anno Iuſtiniani Imperatoris, quamuis breuiter, vno tamen in tuo nomine & hoc paruiſſimo libello confeci, iungens ei aliud volumen de origine & actu Getica Gentis, quod iamdudum communi amico Caſtalio edidiſſem: quatenus diuerſarum gentium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias, & ad Deum conuerſus, qui eſt vera libertas. Legens ergo vtroſque libellos, ſcito, quod diligenti mundum ſemper neceſſitas imminet. Tu vero auſculta Ioannem Apoſtolum, qui ait b: Chariſſimi, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: quia mundus tranſit & concupiſcentia eius: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum. Eſtoque toto corde diligens Deum & proximum, vt impleas legem, & ores pro me, nobiliſſime frater.* hactenus ille, perbelle admonens, hanc nos ex hiſtoriarum lectione conſequi debere vtilitatem, vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indeſinenter voluitur & inuoluitur, eum nos contemnere penitus debere & odio proſequi perſuadeant. Quod ſi à lectore hæc exigit auctor: ab auctore quomodo non totus id ipſum mundus iure requirat? Faxit Deus (quod eſt in optatis) nos mundi ſcabra & lutulenta illæſo & impolluto pede tranſire. Sed iam ad anni ſequentis res geſtas enarrandas progrediamur.

DIGNA ADMONITIO IORDANI HISTORICI

b 1. Ioan. 2.

IESV CHRISTI

Annus 551.

c VIGILII PAP. Annus 12. IVSTINIANI IMP. 25. TOTILÆ REG. 10

I. NOVISSIMIS DIEBVS AFFLIGITVR ROMANVM IMPERIVM.

QVingenteſimus quinquageſimus primus aduenit Chriſti annus, idem numeratus poſt Baſilij Conſulatum decimus, & à Procopio belli Gothici decimus ſextus, Iuſtiniani vero Imperatoris vigeſimus quintus, Romano Imperio funeſtiſſimus: quo Germanus inſignis ductor exercitus, in quo omnis recuperandæ Italiæ collocata ſpes erat, improuiſa morte ſubtrahitur, claſſiſque Imperatoria naufragium paſſa eſt in oſtiis Hadriatici maris contra Calabriam: Sclaui que barbari iterum graſſantes, apud Hadrianopolim Romanum profligarunt exercitum, victoreſque progreſſi vſque ad Murum longum, qui vnius diei ſpatio diſtat Conſtantinopoli: ſed vix repulſi, ad propria remearunt. Habet pluribus omnia iſta Procopius c. Sed vnde tot mala, quibus terra marique vbique ab irato numine Romanum peſſumdatur Imperium? Dictum eſt ſæpe, repetendum vero ſæpius, pro hoſtibus pugnare Deum, cum à Principibus in religione peccatur: reddique imbecilles ac prorſus inutiles robuſtiſſimos quoſque exercitus, niſi pietate firmentur, at debiles hoſtes euadere potentes, cum in aduerſariorum caſtris offenſam paſſa religio mæret: quæ quidem ex diuinis literis pluribus declarata exemplis, eadem crebrius ſingulis ſæculis produntur expreſſis ſignata monumentis. Tu vero hæc clarius intueberis ex recenti, quæ ob oculos ponetur, hiſtoria.

c Procop. de bello Goth. lib. 3.

II. IMPERATOR CVM THEODORO FVRIT ECCLESIAM.

Quænam autem hoc anno aduerſus ſacros canones, contra Eccleſiaſticas ſanctiones, decretaque Patrum, maiorumque traditiones, in contumeliam primæ ſedis Antiſtitis vſque hactenus mortalibus inaudita facta ſint Conſtantinopoli, videamus. Inſtigante rurſum Theodoro Cæſarienſi omnium malorum auctore, contra præcedentis Synodi decretum & emiſſam ſponſionem de ſeruando vſque ad Concilium vniuerſale ſilentio, Iuſtinianus Imp. contra Tria illa capitula publice appendi iuſſit edictum; quod nec rogante per ſuos Vigilio, reuocare voluit: immo & præter minas, vim quoque adhibuit, ſuis mandans ſatellitibus, nimium oblitus ſui, furore percitus, mente dimotus, correptus maligno ſpiritu, agitatus à ſatana, vt in ipſum Vigilium Apoſtolicæ ſedis Epiſcopum manus iniiciant. Conuertit in vnum Vigilium (ô laudem egregiam!) quod aduerſus tot barbaros vbique deuaſtantes Imperium prælium agendum erat: hinc ſibi cœpit parari triumphos ill. teratus Theologus, ſi vincat vi, quem non poſſit ratione conuincere, Eccleſiæ vniuerſalis Antiſtitem: vniuerſam iam ſubiugaſſe Eccleſiam ratus, cui vt ſibi ſubditæ aggreſſus erat præſcribere leges. Vbi vero audiſſet iſta Vigilius, in fuga tantum ſpem ponit: ſicque ex domo Placidiana, vbi degebat, confugit ad ibi proxime iunctam Eccleſiam S. Petri d, vbi & Eccleſiaſtica tractans, ad aliquod temporis ſpatium manſit, in aduerſarios ſententiam ferens.

d Vigil. ep. 7. tom. 1. ep. Roman. Pont.

Nam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

III. THEODORI CÆSARIENSIS IMPVDENTIA.

Nam & Theodorus ille Cæſareæ Cappadociæ Præſul qui inhærens Imperatori omnium malorum illi auctor acceſſit, eius gratia niſus, & potẽtia factus impudens, eò audaciæ progreſſus eſt, vt primæ totius Orientis Eccleſiæ Zoilum Patriarcham Alexandrinum, quod inhærens olim Vigilio Romano Pontifici Tria illa capitula ab Imperatore promulgata damnare penitus renuiſſet, ſua ſponte, nulla Synodo congregata, vel aliquo ordine iudiciali ſeruato, veluti ſi primarius ipſe ſolus toti Orbi præſideret Antiſtes, condemnarit, in ordinemq; redigens, ſede priuarit, & tanquam hæretici hominis ex ſacris Diptychis eius nomen expunxerit, inque locum ipſius ſucceſſorem ſubrogarit Apollinarem: Sed & illud aduerſus Apoſtolicam Romanam ſedem nõ eſt veritus perpetrare, vt cum ſynodice Vigilius Papa (vt vidimus) ſtatuiſſet, tacendum eſſe de quæſtione oborta condemnationis Trium capitulorum vſque ad generalem Synodum celebrandam, iſte pertinax aduerſus eadem Tria capitula cuncta publice agere non deſtiterit, egeritque vt contra eadem ab ipſo Iuſtiniano Imperatore palam edicto propoſito omnes æquè aſſentirentur Epiſcopi. Addidit vero, vt Vigilio contradicenti, atq; ſub anathemate id prohibenti non ſolum non acquieuerit, ſed plane deſpexerit, inſultarit, inque eius cõtumeliam, licet ab eo vetitus, Miſſis tamen publice celebrarit, aliaq; nefaria id genus adiecerit, quibus contumax ingenium, refractariumque animum, atque rebellem penitus voluntatem oſtenderet, nec ipſarũ memor legum Imperatoris, quibus haud ſemel quidem, ſed ſæpius quanta eſſet ſuper omnes totius Orbis Epiſcopos Romani Pontificis auctoritas, declaraſſet.

IV. En, quo tandem progreſſus eſt præceps ex monacho Origeniſta præpotens armiger Iuſtiniani: hoc enim nomine nuncupauerim eum, qui lateri eiuſdem aſſiſtens, fecit analphabetum Imperatorem palliatum repente apparere Theologum, atque de dogmatibus acutiſſime diſputare, qui nunquam legere ſciuerit, vel ipſum foris inſcriptum ſacrorum titulũ Bibliorum. Accipiat & à Nouatoribus, quibus etiam militat, miles iſte ſtipendium: cum nihil præterea ſuis ſtudiis intelligant hominẽ iſtum vaſtum eſſe conatum, niſi vt tam profana, quam ſacra cuncta tribui vellet Imperatori, à quo ſicut laici, ita & accepturi eſſent leges Epiſcopi, ſicq; omnem in Eccleſia diſſolueret inſtitutum diuinitus ordinem, faceretque ex regno cœlorum (quo nomine ſæpe Eccleſia denotatur) ergaſtulum inferorum, vbi nullus ordo ineſt, ſed vbique confuſio: verum quæ Dei (inquit Apoſtolus a) à Deo ordinata ſunt. Hæc vero omnia ex Actis publicis accepimus, ex ipſa, inquam, ſententia Vigilij Papæ in eundem Theodorum lata, quam proxime hic deſcripturi ſumus, vt cuncta certa explorataq; abſque vlla dubitatione reddantur.

a Rom. 13.

V. [illegible]

Quid autem ipſe Vigilius, num diſſimulanda putauit atque negligenda, tempori inſeruiendo, quæ contra ſtatuta decreta à Theodoro ignominioſe peracta cognouit? Num timore perculſus, agere deſiit aduerſus canonum violatorem, iuriumq; Eccleſiæ inuaſorem? An non protinus aduerſus perturbatorem, violentumque Eccleſiæ graſſatorem vindex inſurgit? Sed quid agat in terra aliena, vbi ſilent iura, & à legum conditore intelligit leges proculcari, & iuſtitiam à Iuſtiniano exulem agi? Non deſpondet animum, non concidit viribus, quibus ſcit Apoſtolica auctoritate fulciri: non timore percellitur: fugitiuus licet, aggredientem inſequitur hoſtẽ, erigitq; ſe ex aduerſo pro Eccleſia Dei, inque ſacrilegum pſeudoepiſcopum, immo tyrannum inſurgit, collectoq; paucorum, quos ſecum habebat, Epiſcoporum conuentu, execranda Theodori facinora examinanda proponens, demum aduerſus peruerſorem legum & euerſorem iurium, occultum hæreticum, manifeſtum ſchiſmaticum, ſententiam excommunicationis intorquet his verbis b:

b Extat to. 2. epiſt. Rom. Pont. & to. 2. Concil.

VI. *Vigilius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ vrbis Romæ dicit: Res eſt quidem diuina conueniens iuſsioni, patientiam præbere peccantibus: quam non tamen adeuſque decet extendi, vt ſpe continua impunitatis iugiter ſine correctione peccetur. Quoniam igitur tu, Theodore Cæſareæ Cappadociæ ciuitatis Epiſcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ tempore, vnius anni ſpatio in Eccleſia, cuius gubernacula ſuſceperas, non paſſus es reſidere: ſed auctoritate nominis Epiſcopalis abuſus, vniuerſalis Eccleſiæ ſcandala generare non ceſſas: & à nobis modo familiariter obiurgatus, modo precibus obſecratus, nonnunquam vero fraterna increpatione correptus, ſæpe etiam diuinarum Scripturarum auctoritate commonitus, vel Eccleſiaſticæ conſuetudinis conuictus exemplis, ſemper emendationem ſermone promittens, quam factis nequiſsimis reſpuebas, numquam à praua intentione ceſſaſti.*

EXCOMMVNICATIO IN THEODORVM.

VII. *Nos vero longanimitatem noſtram diuina largitate conceſſam, tam circa te, quam circa ſeductos abs te, pene hoc quinquennio elapſo monſtrauimus. Primum quidem in eo, quod pro ſcandalo reſecando condeſcendentes quorumdam animis, quos aliqua diſpenſatione * credimus temperandos, quia tu iam eos pluribus annis inquietiſsimus ſtimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter exiſtimauimus ordinanda, tali ſcilicet conditione, vt omni in poſterum perturbatione ſopita, nihil vltra nec verbo, nec litteris quiſquam facere ex eadem cauſa præſumeret. At tu praua conſuetudinis tractus audacia, neq; tunc ceſſare à conſcribendis & prædicandis nouitatibus voluiſti: ita vt ſæpius libellis Epiſcoporum redditis, & conſenſum tuum cum eis propria confeſsione condemnans, eorum vel tuis exceſsibus ſæpius à nobis concedi veniam poſtulaſſes.*

* diſſipatione

VIII. *Poſt hæc autem cum te à præſumptione ſolita nec pudor humanæ verecundiæ, nec ſacerdotij pondus, nec timor diuini iudicij cohiberet, dum amplius, quam iuſtum fuerat, patientiam tuis facinoribus præberemus: ad hoc eſt cauſa perducta, quatenus ſemotis omnibus, quæ de Trium capitulorum à quibuslibet dicto ſcriptove fuerant ordinata, quid de ipſa re facto opus eſſet, cum Africanarum, Illyricianarum, ſeu Galliarum * partium congregata Synodo tractaremus, eorum maxime præſentiam requirentes, quorum fuerat ſcandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clementiſsimo Principe, præſentibus etiam Menna Conſtantinopolitanæ ciuitatis & Dacio Mediolanenſis vrbis Antiſtite, aliiſque tam Græcis, quam Latinis Epiſcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore pariter aſſuiſti, necnon & præſentibus Iudicibus atque Proceribus, vniuerſoque Senatu conuenit, ne vſque ad memoratam Concilij definitionem quicquam de præfatis Tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur. At deinde tuis ex conſuetudine incitamentis liber condemnationem capitulorum ipſorum continens, in Palatio, te aſſiſtente & inſtruente, coram quibuſdam Græcis Epiſcopis eſt relectus, à quibus aſſentationum fauorem tuis vocibus exigebas. Ex quo facto tam tu, quam tibi conſentientes Epiſcopi mitius licet à nobis quam oportuit increpati, ad promerendam ficta ſatisfactione veniam conuolaſtis.*

* aliarum

IX. *Quis autem commemorare ſufficiat: quæ te incitante atq; exequente mala commiſſa ſunt? Nam vt de magnis exceſsibus tuis parua narremus, totius ſcandali incitamentum fuiſti atque ſeditio. Qui domi tuæ ſedens, antiquarios pretio caro conducens, ea, quæ iurata voce te non eſſe facturum vſque ad conſtitutum tempus frequentius firmaueras, conſcripſiſti, & ſub prætextu religionis, ea quæ Eccleſiam Dei diuiderent (ſicut etiam rebus ipſis agnoſcitur) perpetraſti. Nam vſque ad hoc animum Chriſtianiſsimi Principis falſis ſuggeſtionibus perduxiſti, vt clementia eius, quæ in ſuis hoſtibus pia ſemper apparuit, contra nos grauiter moueretur. Sed hæc omnia bona deſideria noſtra, quæ pro pace Eccleſiæ proculdubio militabant, ita animus tuus quietis impatiens diſsipauit, vt illa, quæ fraterna collatione & tranquilla Epiſcoporum fuerant reſeruanda iudicio, ſubito contra Eccleſiaſticum morem, & contra paternas traditiones, contraque omnem auctoritatem Euangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ, edictis propoſitis, ſecundum tuum damnarentur arbitrium, dum Fidelium nullus ignoret, per quos Dominus & Deus noſter doctrinis cœleſtibus plebem ſuam iuſſerit erudiri, vel quibus ligandi ſoluendique ſuper terram dederit poteſtatem.*

X. *Deinde in domo Placidiana cum Græcarum vel Latinarum partium Epiſcopis: qui in vrbe regia aderant, & presbyteris ac diaconibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conueniſti, ibique*

ſub magna vociferationis conteſtatione, quam nos, quam frater noſter Mediolanenſis Epiſcopus prohibuimus, ne aliquis veſtrum præuaricationi communis Conſtituti, contempta fraternitate, præberet aſſenſum. Tu autem ſedis Apoſtolicæ interdicentis per nos auctoritate deſpecta, ad eccleſiam, in qua edicta ipſa pendebant, reliquos tecum attrahens, perrexiſti, ibique aliis adiectis præuaricationibus, Miſſarum ſolemnia celebraſti: & quaſi nihil tibi eſſet, primæ Sedis Antiſtitem præſentem & contradicentem contempſiſſe: Pontificem etiam Alexandrinæ Eccleſiæ ſacerdotem fratrem noſtrum Zoilum, cuius nomen vſque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat, Diptychis eximentes, Apollinarem quendam peruerſorem atque Eccleſiæ ipſius adulterum vobis ſociaſtis: vt veſtra iniquitas non ſolum in remouendo ſimpliciſſimo ſacerdote, ſed etiam in recipiendo pateſceret peruerſore. Reticemus interim alia, quæ eodem die à vobis in Apoſtolicæ ſedis & in canonum perpetrata probantur iniuriam: ne detenti enumeratione culparum, quarum inuentor oſtenderis, quod tibi competit, diutius differamus.

XI. SENTENTIA IN THEODORVM CÆS. EPISC.

Et licet ante triginta dies pro memoratis exceſſibus veſtris ab Apoſtolica vos communicationis remouiſſemus conſortio, credentes quod ſacerdotali propoſito facilius quæ male geſta fuerant, ſatisfactione congrua curaretis: Ideoque ex perſona & auctoritate beati Petri Apoſtoli, cuius licet exigui nos locum gerimus, cum Datio Mediolanenſe, Ioanne Marſicano, Zacchæo Scyllaceno, Valentino Siluæcandidæ, Florentio Matellicatenſi, Iuliano Singuino, Rufulo Numentanenſi, Dominico de Callipoli, Primaſio Adrumetino, Verecundo Lunenſi, Stephano Ariminenſi, Paſchaſio Alatrino, atque Ioanne Cortonenſi, fratribus & coepiſcopis, hac Theodorum Cæſareæ Cappadociæ ciuitatis quondam Epiſcopum ſententiæ promulgatione, tam ſacerdotali honore & communione Catholica, quam omni officio Epiſcopali ſeu poteſtate ſpoliatum eſſe decernimus: nullis te vacare vlterius rebus, niſi pœnitentiæ lacrymis cenſentes, quibus percepta remiſſione culparum, locum, communionemque tuam aut à me, aut poſt obitum meum à ſucceſſore meo (ſi merueris) indulgentiæ recipias.

XII. SENTENTIA IN MENNAM.

Teque Mennam Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum, qui non diſſimili culpa conſtringeris, cum omnibus Metropolitanis & Micropolitanis Epiſcopis ad tuam diœceſim pertinentibus, ſed & tuos Orientales, vel diuerſarum prouinciarum maiorum minorumque ciuitatum Epiſcopos, qui his exceſſibus, pro quibus Theodorum Cæſareæ Cappadociæ quondam Epiſcopum condemnauimus, præbuiſtis aſſenſum, humaniore ſententia pro DEI *conſideratione tamdiu à ſacra communione ſuſpendimus, donec vnuſquiſque veſtrum errorem ſuæ præuaricationis agnoſcens, culpam apud nos propriam competenti ſatisfactione diluerit.* Hæc eſt ſubſcriptio ſancti Papæ: *Deo iuuante & ipſius gratia Vigilius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ vrbis Romæ huic damnationi atque excommunicationi Theodori Cæſareæ Cappadociæ, & huic communicantis Mennæ Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopi vel aliorum Præfectorum, ſubſcripſi. Data 19. Kalend. Septembris, imperante domino Iuſtiniano perpetuo Auguſto, anno vigeſimo quinto, poſt Conſulatum Baſilij viri clariſſimi anno decimo* * hactenus Conſtitutum Vigilij de anathemate. Quod autem ad Zoili depoſitionem ac ſubſtitutionem Appollinaris pertinet, hæc Liberatus diaconus ait *a*: *Zoilum poſtea Imperator depoſuit, & Apollinarem ordinauit, qui nunc eſt Præſul ipſius Alexandrinæ Eccleſiæ.* hæc ipſe.

* vndecimo,

a Liberat. diac. Breu. cap. 23. tom. 2. conc.

XIII. DE PRIMASIO EPISC. ADRVMETINO.

Antequam autem, quæ poſt hæc ſunt ſubſecuta, narremus: cum inter Epiſcopos, qui vna cum Vigilio dicto conuentui interfuerunt, nominatus reperiatur Primaſius Epiſcopus Adrumetinus in Africa: hunc illum eſſe putamus, qui clarus habetur inter ſcriptores Eccleſiaſticos, cuius & meminit Iſidorus & alij, ſolus hic (quod ſciam) inter Africanos Epiſcopos reperitur, qui inhæſerit Vigilio, cæteris ab eius communicatione recedentibus. Cum vero hic dicatur Epiſcopus Adrumetinus, errore lapſus videtur Trithemius, dum eum nominat Epiſcopum Vticenſem: niſi quis dicere velit, duos fuiſſe Primaſios Epiſcopos Africanos eoſdemque eruditione claros: quod non perſuadetur: nam dum de Primaſio meminit Caſſiodorus, ipſum ſui fuiſſe æqualem profitetur, cum ait *b*: *Noſtris quoque temporibus Apocalypſis beati Primaſij Antiſtitis Africani ſtudio minute & diligenter quinque libris expoſita eſt. &c.* Porro his temporibus vixiſſe Caſſiodorum, nullus ignorat. Quod vero Primaſium Trithemius dicit fuiſſe Epiſcopum Vticenſem, diſcipulumque ſancti Auguſtini, & Scholiaſtes eundem ipſum floruiſſe ait temporibus Theodoſij, anno Domini quadringenteſimo quadrageſimo: ſane quidem vterque decipi reperitur: nam cum idem Primaſius inueniatur in commentariis in epiſtolam ad Hebræos citare ipſum Caſſiodorum, qui his vixit temporibus Iuſtiniani Imperatoris, longe poſt Theodoſij tempora ipſum claruiſſe oportuit. Quamobrem nonniſi vnum eundemq; Primaſium diximus, ipſumq; Epiſcopum Adrumetinum, qui Conſtantinopoli (vt videmus) cum Vigilio Papa aduerſus ſchiſmaticos ſtetit.

b Caſſiod. de diuin. lect. c. 9.

XIV. Hæc autem omnia acta ſunt ab ipſo Vigilio Conſtantinopoli in eccleſia ſancti Petri, ad quam Imperatoris miniſtrorum violentiam metuens ante confugerat, vt ipſe docet litteris *c* circularibus anno ſequenti datis. Vbi dum moraretur, atque ea, quæ per Theodorum eſſent geſta, cognouiſſet, eam ipſam, quam recitauimus, ſententiam tulit: verum non ſtatim promulgauit, ſed apud ſe retinendam aliquantulum, in conſilio habuit, paci interim Eccleſiæ conſulturus.

c Vigil. ep. 1. tom. 2. ep. Rom. Pont.

XV. VIGILIVS CONFVGIT AD ECCLESIAM S. PETRI.

Sed quæ præceſſerunt, cum ad euitandos Imperatoris ſatellites Vigilius è Placidiana domo hoc anno fugit ad eccleſiam ſancti Petri, nuper à nobis relata, iam ex eiuſdem Pontificis ſcriptis ſequenti anno datis hic recitemus, quo cuncta certius habeas explorata: ait enim ipſe in epiſtola circulari vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ ſcripta *d*:

d Vigil. ep. 1.

XVI. *Poſteaquam edicta ſua piiſſimus Princeps iuſſit appendi: omnibus Epiſcopis diuerſarum partium & presbyteris atque diaconibus, necnon & clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ad nos venientibus in Placidiana domo, antequam ad ſancti Petri confugeremus baſilicam, facie ad faciem ita locuti ſumus: Rogate piiſſimum Principem, vt edicta ſua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur: & conſtitutum commune expectare: id eſt, vt ſcandalizati Epiſcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant: aut certe remota omni violentia, ſuas ſcripto declarent ſententias. Quod ſi forte preces veſtras audire noluerit: vos nulli rei præbeatis aſſenſum, quæ ad diuiſionem tendit: nec contra conſtitutum comminatione aliqua veniatis. Quod ſi hoc forſitan (quod non credimus) feceritis: noueritis ex præſenti die, vt præuaricatores Apoſtoli Petri, per miniſterium vocis meæ haberi ſuſpenſos.*

XVII. VIGILIVS EXCOMMVNICAT ADVERSARIOS.

Et quoniam his actis, non ſolum ea, quæ commiſſa fuerant, nullo modo ſunt correcta, ſed etiam ex aliis cauſis die ipſo in regularem Eccleſiaſticarum præiudicium, vel iniuriam ſedis Apoſtolicæ, peiora præſumpta ſunt: nos vlterius eos communionis noſtræ permiſimus eſſe participes, nec aſpectus eorum poſt tot præuaricationes noſtri oculi receperunt. Ea enim, quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Epiſcopis vel presbyteris & diaconibus aliiſque clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ voce publica dixeramus, poſtea etiam die Nonarum * *Septembrium nuper præteritarum in beati Petri baſilica ſcripto firmauimus: in quo etiam illum, qui ſub habitu Epiſcopali lupi rapacis Dominico gregi tendit inſidias, & aſſumens totius ducatum ſcandali, vniuerſalem perturbauit ac perturbat Eccleſiam, de Epiſcopatus ordine deponentes, damnauimus: alios vero, qui ſuperius memorati ſunt, à communione ſuſpendimus.*

* decimonono Kalend. Ita in ſententia lata in Theodorum.

XVIII. *Sed hæc hactenus. Paginam ipſius damnationis proferre noluimus: quoniam & clementiſſimum Principem pro tali ac tanto ſcandalo, quæ facta ſunt, diuini conſideratione iudicij reuocare confidimus: omnibus oportebat nos ſpatium pœnitentiæ reſeruare, imitantes beatum Petrum, cuius ſedem tenemus immeriti. Chartam vero ipſam excommunicationis atque damnationis cuidam Chriſtianæ perſonæ tradidimus conſeruandam: vt ſi forſitan hi, qui exceſſerant, nullo modo corrigere voluiſſent, aut ſi nobis vis aliqua irrogaretur, ſiue qualibet inquietudo fieret, vel certe humana ſorte tranſitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret: quatenus eius notitia Chriſtianis omnibus patefacta, ſeruetur in poſterum.* hæc de ſententia in Theodorum atque Mennam lata Vigilius: quæ ipſe ſcripſit anno ſequenti in baſilica S. Euphemiæ

Chalcedone, ad quam, vrgente rurſus violentia regiorum miniſtrorum, ex dicta Eccleſia ſancti Petri confugere coactus eſt.

IESV CHRISTI
Annus 552.

Vigilii Pap. Annus 13.	Iuſtiniani Imp. 26. Totilæ Reg. 11.

I. Qvingenteſimus quinquageſimus ſecundus Domini annus poſt Conſulatum Baſilij vndecimus notatur in Faſtis, à Procopio autem belli Gothici decimusſeptimus, quo & menſis Aprilis exordio annus incipit numerari Iuſtiniani Imperatoris vigeſimusſextus: cum menſe Februario, adhuc anno durante eiuſdem Imperatoris vigeſimoquinto, idem Iuſtinianus ſanctionem edidit aduerſus Iudæos, qui ſuos prohiberent ſacræ legis libros alia tradi docerique lingua, quam Hebraica: quo fiebat, vt ſimplicioribus, quos vellent, ipſorum magiſtri magno illorum damno propinarent errores. Hos igitur lege coerceri præcipit, ſi quid iidem contra diuinã Scripturam auſi ſint docẽdo tradere, vt negare mortuorum reſurrectionem, ſiue vniuerſale iudicium, vel aſſerere per Angelos cuncta eſſe creata. Quantum enim ex Iuſtiniani ſanctione cõſpicitur, Hebræi iam vulgo à linguæ Hebraicæ vſu deſciuerant, & nationum lingua, ſiue ea, quæ apud eos vulgaris eſſet, vtebantur. Iſta igitur ſanctio ſic ſe habet a:

a Nouel. 146.

II. *Neceſſarium quidem erat, Hebræos ſacros audientes libros, non ſolùm litteris adhærere, ſed ad reconditas eis prophetias inſpicere, per quas magnum Deum & Saluatorem generis humani Ieſum Chriſtum annunciant. Sed etiam ſi inſenſatis ſemetipſos interpretationibus tradentes, à recta vſque nunc aberrauerunt gloria: tamen certatis eis adinuicem diſcentes ipſos, non ſuſtinuimus ſine iudicio eis relinquere tumultum. Per has enim ipſorum, quæ nobis adductæ ſunt interpellationes, didicimus, quod quidem ſolam habentes Hebraicam vocem, & ipſa vti in ſacrorum librorum lectione volunt, nec Græcam tradere dignantur, & multum dudum tempus per hoc adinuicem commouentur. Nos igitur huiuſmodi diſcentes, meliores iudicauimus eſſe, & Græcam vocem ad ſacrorum librorum lectionem tradere volentes, & vocem omnem ſimpliciter, quam locus aptiorem & magis cognitam audientibus facit.*

III. *Sancimus igitur, licentiam eſſe volentibus Hebræis per ſynagogas ſuas in quocumque Hebræi omnino loco ſunt, per Græcam vocem ſacros libros legere conuenientibus, vel etiam patria forte (Italica hac dicimus) lingua, vel etiam aliorum ſimpliciter, vna ſcilicet cum locis etiam lingua commutata, & per ipſorum lectionem, per quam clara ſunt, quæ dicuntur, conuenientibus omnibus deinceps, & ſecundum hæc viuere & conuerſari. Neque fiduciam eſſe his, qui apud eos ſunt, expoſitoribus ſolam Hebraicam tradentibus malignari hanc quemadmodum voluerint, multorum ignorantia ſuam ipſorum abſcondentes malam conſuetudinem.*

IV. *Veruntamen hi, qui per Græcam legunt, Septuaginta vtantur traditione, quæ omnibus certior eſt & præ aliis melior iudicata, præcipuè propter quod circa interpretationem contigit: quia & per duos diuiſi & per diuerſa interpretantes loca, tamen vnam tradiderunt omnes compoſitionem: Ad hæc vero quis non horum virorum & illud admiretur, quia multo antiquiores ſalutari apparitione magni* Dei *& Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti conſtituti, tamen illam futuram tanquam videntes ſacrorum librorum traditionem fecerunt, tanquam propheticæ gratia circumfulgente eos? Et hac quidem vtantur præcipuè omnes: ſed non tamen tanquam eis reſiduas excludere ſancimus interpretationes. Licentiam damus & Aquilæ vti, etſi alienæ tribus ille, & non competentem aliquibus ſermonibus habet cum Septuaginta interpretationis diſſonantiam.*

V. *Eam vero, quæ ab eis dicitur Secunda editio, interdicimus omnimodo, vtpote ſacris non coniunctam libris, neque deſuper traditam de Prophetis, ſed inuentionem conſtitutam virorum ex ſola loquentium terra, & diuinum in ipſis habentium nihil. Et ipſas ergo ſacras voces legant, codices ipſos reſpuentes, ſed non abſcondentes quidem, quæ per eos dicta ſunt, exterioribus vero traditis ſine ſcriptis vanæ vocis vtentes ad ſimpliciorum per ipſos excogitatis perditionem* (Thalmudiſtas Iudæorum ſignat Imperator.) *Vt hac data à nobis licentia, neque damnis aliquibus ſubiiciantur omnino, qui Græcam vocem & alias tradunt, neque ab alio quouis prohibeantur. Neque licentiam habebunt hi, qui ab eis maiores omnibus Archipherecitæ: aut presbyteri forſitan, vel magiſtri appellantur, perinais aliquibus aut anathematiſmis hoc prohibere: niſi velint propter hos caſtigari corporis pœnis, & inſuper priuationem facultatum nolentes ſuſtinere, meliora vero & Deo amabiliora volentibus nobis & iubentibus.*

VI. *Si quidem vero apud eos atheos vanæ nouæ vocis eloquia inferre præſumpſerint, aut reſurrectionem & iudicium negare, aut facturam* Dei *& creaturam Angelos ſubſiſtere: hos & expelli volumus loco omni, & non relinqui vocem blaſphemiæ, & ita à* Dei *ſimul lapſam notitia: præſumentes enim eos aſſari aliquid huiuſmodi, vltimis ſubdantur ſuppliciis, illo & terrore ex hoc Iudæorum emendantes gentem. Oramus autem eos, aut per iſtam, aut per illam linguam ſacros libros audientes, ſeruare quidem interpretantium malignitatem, non ſolas vero conſiderare litteras, ſed rebus reſici & diuinum veraciter intellectum recipere: vt & redoceri quod melius eſt, & quieſcere aliquando errantes, & in hoc ipſo, quod eſt omnium κατεπείγον peccantes in* Devm *ſpem dicimus. Propterea enim omnem eis vocem aperimus ad ſacrorum librorum lectionem, vt omnes de cætero eorum accipientes ſcientiam, doctiores ad melius fiant, re confeſſa conſtituta, paratiorem ad diſcretionem eſſe, & ad melioris intentionem, ſacris innutritum libris, & parum quod deſit habentem ad emendationem, quam ſcientem quidem horum nihil, ſolo vero cultus inchoatum nomine, & tanquam anchora retentum ſacra, & doctrinam piam hæreſis appellationem eſſe putantem.*

VII. *Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc præſentem piam legem declarata ſunt, cuſtodiet quidem tua gloria, & quod tibi obtemperat Officium: ſeruabit & pro tempore, qui in eodem cingulo ordinabitur, & non permittet omnino Hebræos præter hæc facere: ſed inſiſtentes & prohibere omnino nitentes, corporalibus primum pœnis ſubiiciens, exilium incolere compellet, auferens & bona, vt non ſimiliter ipſi contra* Devm, *ſed & Imperium audaciter inſurgant. Vtetur autem & præceptionibus ad Prouinciarum Præſides, præcipiens ipſis noſtram legem, vt & ipſi hanc diſcentes proponant per ciuitatem vnamquamque: ſcientes, quia hæc obſeruari vtile erit his, qui noſtram indignationem veriti fuerint. Data ſexto Idus Februarij, Conſtantinopoli, D. N. Iuſtin. PP. Aug. an. 25. poſt Baſilij V. C. Conſulatum anno 12.* * ſed corrigendum, vt dicat anno vndecimo: annus enim Imperatoris vigeſimusquintus abſoluitur hoc anno in fine menſis Martij: nã Aprili menſe vigeſimusſextus inchoatur. Hac igitur Imperatoris ſanctione ordine temporis recenſita iam rerum Vigilij Papæ anni huius, nullius alterius lectionis obice interciſam, narrationis ſeriem ingrediamur.

* II.

IIX. Meminiſſe, lector, debes quę anno ſuperiori Conſtantinopoli aduerſus Vigilium Romanum Pontificem ſunt ſacrilege perpetrata, cùm ipſe Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis Antiſtes vim metuens Imperatoris ad ſancti Petri baſilicam primum confugere coactus eſt. Sed quod nec ſacer ille aſylus, ſeruilis etiam conditionis quibuſcumque ſecurus, tanto Pontifici ab Imperatoris ſacrilegi violentia videri poterat eſſe tutus ante oculos eius poſitus: trans mare quæſiuit effugium, & in baſilicam ſanctæ Euphemiæ apud Chalcedonem (ſi quis tamen inueniri poſſit locus ab Imperatoris furore ſecurus) habitare diſpoſuit. Hoc plane tempore accidiſſe noſcuntur, quæ Anaſtaſius Bibliothecarius iungit, immo confundit cum prioribus, quę acciderunt viuente adhuc Theodora Auguſta: *Tunc* (inquit) antequam ſcilicet ab Eccleſia S. Petri recederet, *dedit alapam in faciem eius quidam, dicens: Homicida, neſcis, quid loqueris: quia Siluerium Papam occidiſti, &*